

ctissimo Apostolus: quo felicius vero, eo simul cautior et circumspectior, et cum facilitatem seductionis ab hypocritis videat, metu sancto plenior, quod utrumque non dissimulat, et gravissimas se habere causas tum *gloriandi*, tum *metuendi* profitetur. Quis felicius Paulo, qui cum aliis tot ecclesias Corinthios quoque ad amplexum Evangelii perduxerat, eosque ἡμεοσε ἐνὶ ἀνδρὶ, *desponderat uni viro Christo, genuino sponso*: (non Papae Romano, utpote quem non sponsum, sed adulterum, esse, iamdudum testatus est inter tot veritatis confessores FRANCISCUS VILLIERIVS *de statu primitivae ecclesiae p. II.*) voce emphatica, deprompta ex antiquitate Graecorum, inter quos virginibus praeficiebantur ἀρμοσαὶ καὶ ἀρμόσσυνοι, *Inspectores, custodes seu censores* non saltem morum, verum etiam sponsores, qui matrimonium ineundum curarent, et futuras sponfas ritu solenni desponderent proco nuptias ambientem, et tandem eam integram et incorruptam in manus traderent. Qua in re ab HAMMONDO, CLERICO et Antiquariis ipsis expedita, et ulterius evolvenda non haerebimus, cupidi nuclei sub cortice reconditi: revera enim Paulus Corinthiorum ecclesiam seu coetum congregatorum fidelium regenerando Christo adiudicavit, et ab incredulitate seculi ac impietate abduxit, traditurus demum eam Salvatori suo ac magistro in die pantocritico ἀγνήν, *puram et castam* inviolatamque in manus.

II.

Quaeris: Quodnam illud fuerit vinculum desponsationis, et in quo momento praecipue ἀγνότης ista Corinthiorum constare debuerit? Circumstantiae textus et analogia protinus subveniunt, ac respondent, illud utrumque fuisse fidem veram, eamque ante omnia OBJECTIVAM, doctrinam puram, intemeratam, in nulla credendorum parte

A 3

a sin-